Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31636
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

antiocho mittere. peruenit ad galaam. sperans se et horum fidem ad antiochum conuertere. Multum uero preter quod sperauerat aliter galaeos inuenit qui durissima obiectione non eum susceperunt nec demetrium relinquere decreuerunt. Quod dum ionathas certatus esset ad obsessionem eorum et afflictionem prouincie paratur. Nam partem militie circa galaam disponens. cum reliquis ipse percurrens cuncta predabat uel incendebat. Que cum uidissent galei nullumque auxilium a demetrio sibi uenisse conspicerent. et periculum presens adiutorium uero longe et incertum esse utrum ueniret. optimum esse decreuerunt hunc dimittentes illi obedire. Facientes que ad ionathan amicitias auxilia promiserunt. Homines enim ante malorum experientiam utilitates non intelligunt suas. sed cum in malis fuerint constituti. tunc inante percipiunt. et agunt quod nihil lesi facere debuerunt. Ionathas uero consentiens eis de amicitiis. tollensque obsides. ad ierosolimam transmisit. ipse uero totam prouinciam percurrit usque ad damascum. Dum demetrii duces audissent ad cedessam cum multa manu uenisse. Cedessa uero in tyrum et galileam consistit. Nam hoc desiderabant duces demetrii ut de siria eum ad galileam traherent. putantes minime eum pati galileos sibi subiectos affligere. Cumque ionathas eis occurrisset. symonem fratrem in iudea ducem reliquit. Qui multum exercitum de prouincia congregans bethsuram obsidebat. locum iudee munitissimum. nam tenebat eam demetrii custodia. sicut et prius a nobis demonstratum est. Ut igitur aggerem composuisse symonem uiderunt et machinamenta construisse. multaque usum industria contra bethsure obsidionem timuerunt custodes ne capto loco interirent. et mittentes ad simonem petebant fidem accipere. ne quid ab eo pessimum paterentur. Qui cum dedisset. illos quidem de ciuitate tulit suamque custodiam ibi constituit. Ionathas autem exiens a galilea ab aquis que gennesaron dicuntur. nam ibi sua castra posuerat ad campum uero qui dicitur asor peruenit. nesciens illic hostes existere. Demetrii uero duces cum ante unum diem cognouissent contra se ionathan uenire insidias ei per montem collocauerunt. ipsique cum electis militibus in campo ei occurrerunt. Quos cum uidisset ionathas. ad pugnam paratos hortabatur suos. Illi

uero qui a demetrii ducibus per insidias erant locati. a tergo iudeos inuadunt. Qui cum timerent ne in medio capti perirent. ad fugam se dederunt. Et ibi quidem omnes reliquerunt ionathan. pauci uero cum eo numero quinquaginta remanserunt. et mathathias filius eius et iudas chalsi qui duces erant toti exercitus.

Hi audacter et insperate super inimicos irruentes attoniti eos fugauerunt. Tunc uero milites ionathe qui discesserant. ut uiderunt hostes ad fugam uersos. congregati persequebantur eos. et hoc fecerunt usque ad cedessam. ubi castra hostium erant. Victor ergo ionathas in illa pugna refulsit. duo milia prosternens inimicorum. et ad ierosolimam reuersus est. Qui cum uidisset omnia sibi dei prouidentia secundum suam accidere uoluntatem. legatos romam destinauit. renouare cupiens olim cum gente iudeorum amicitias celebratas. suis etiam legatis precepit. ut redeuntes ab italia per spartiatas transirent. quos deberent ad memoriam amicitie uel cognationis reducere. Qui cum romam uenissent et ingressi ad senatum mandata principis sacerdotum ionathe dixissent quod eos mitteret amicitias renouare. que prius per senatum de iudeorum amicitiis fuissent statuta. senatus dedit eis reportandas epistolas ad omnes asie reges. et magistratus ciuitatum. quatinus per eos illesi ad propria remearent. Reuertentes autem ad spartiatas uenerunt. et epistolas ionathe eis porrexerunt. cuius exemplar huiusmodi fuerat. Ionathas princeps sacerdotum gentis iudeorum uel curia et collegium sacerdotum. presidibus et senatui et populo lacedemoniorum salutem. Si salus uobis publica uel priuata bene procedant. sic sunt ut uolumus. Salui autem sumus et nos. In prioribus tamen temporibus epistola nostro principi sacerdotum onie a uestro rege areo. et ab omni populo missa est de uestra simul et nostra cognatione. cuius exemplum subiacet epistole quam quidem libenter suscepimus. et populo et areo fautores facti sumus non egentes huius rei approbatione. quia per sacras nostras litteras hoc esse credimus. Initium uero recognitionis non credidimus nos primi facere. ne preripere uideremur uestram gloriam. Multo uero transacto tempore ex quo familiaritas communis extitit in sacris et constitutis diebus deum pro uestra salute uel uictorias sacrificiis deprecamur. et cum multa nos circumsteterint bella per auaritiam uicinorum nec uobis nec aliis propinquis molestos nos esse decreuimus.